PANEGYRICVS INAVGVRALIS,

Quo Autores, Vindices, & Evergetæ Illustris *Vniversitatis Aberdonensis* Iustis elogiis ornabantur:

Publicè dictus in Auditorio Maximo COLLEGII REGII *ejusdem* VNIVERSITATIS, 7. Kal. Sextil, Anno 1630.

Quo Die Candidati Magisterii in PHILOSOPHIA *& Artibus ad gradum illum promovebantur,*

Huic adjecta est Coronis, Laudes exhibens Viri Clarissimi D. D. ALEXANDRI RHÆDI, Doctoris Medicinæ Excellentiss. *recentis Benefactoris munificentiss.*

Ingenui animi est, ut quibus satisfacere nequeas, iis te plurimum tamen debere agnoscas.



ABERDONIIS,

Excudebat Edwardus Rabanus,

Anno Domini 1631.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, PATRICIO, Miseratione Divina Episcopo ABERDONENSI,

UNIVERSITATIS ABERDONENSIS Amplissimo Cancellario, & Instauratori, Sereniss. Regis Majestati à Consiliis Sanctioribus in SCOTIÆ Regno, Baroni de CORHARIS, &c.



RATIONEM hanc (Reverendiss. Præsul) & alterius episagma dum meditarer, animus fuit auribus fluxim offerre: non oculis fidelibus subjicere. Verum Consilium retractare coactus sum jussu, & suasu moderatorum nostri Gymnasij: qui intuitu nuperi Benefactoris D. D. Doctoris ALEXANDRI RHÆDI, *& veteres benefactores recolendos, & novitios prædicandos consultum existimarunt. Me morosum & difficilem in imperio detrectando præbere impium: me verò inania hæc venari, & ex his famam negotiari vanum existimavi. Neque enim pravum quorundam morem (qui morbus est hodie epidemicus) unquam approbare potui: qui* Orationes *quascunq; sacras præsertim, quantumvis frigidæ sint, & dilutæ, juris publici faciunt. Cæterùm opellam hanc affectus, gratitudinis studium, & obsequium solum commendant.* Τῆς ἐπιδεικτικῆς ληκύθου; *vel*

facund

facundiæ flumen à me expectandum non erat: qui in sicco eruditionis campo versor, vbi res ornari negat. Paucißimos invenias, qui cum Philosophia *nostra eloquentiam conjungant: adeo adlubescit vel nuda & neglecta veritas. Quantùm ad instituti rationem, nemo à me justum vitæ eorum, quorum elogia hic sisto, Commentarium expectare potuit. Oratiunculam, non Historiam contexo: & de viris maximis maxima solum propono. De cætero non ingratum tuæ paternitati fore hunc conatum existimavi. Decessorum tuorum Illustriss. (quorum virtutes factis exprimis, socius famæ in terris cum sis, socius etiam futurus gloriæ in Cælis: & de quibus sedes ABERDONENSIS super alias omnes nostræ gentis gloriari potest) laudes audire amas. Tuas etiam ferre debes: si enim sileremus nos, vel* GYMNASII *nostri lapides loquerentur tua merita, & nostram ingratitudinem. Nec est quod assentationis labem metuamus, quod te efficiamus tuæ famæ interesse. Qui te intime norunt, haud ignorant locum gratiæ apud te haud esse lenociniis, & sycophantiæ, sed veræ virtuti. Accedit, quòd gravißimi quique de tuo clero (quos excellens dignitas extra palpationis suspicionem collocavit) tibi laudes plus quàm meritas deferre gestiunt. Neque enim in re ulla alia fervent ingenia magis, & acriora sunt studia apud nos, quàm in laudibus tuis promovendis: & dum singuli certatim in laudes tuas pedibus ruunt, omnes victas manus dare coguntur: & his se impares profiteri. Vt natalium decus & generis claritatem (quâ cum majestate Musas conjunxisti) missa faciam, vulgi blandimentũ, & illecebram, quibus vltimus locus semper fuit apud cordatos, omnis tua vita, cùm privata, tum publica laudum fœcundißima seges est. Neque aliud in te reprehendi potest, quàm quòd culpa cares. Et (verbo vt dicam) si beatißimi sint, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda (quod scribebat* Plinius Tacito) *te beatißimo beatiorem prædicare possumus, cui vtrumque* DEI *beneficio datum est. Pleraque omnia quæ in tuam laudem scribi possunt, ab aliis occupata prætermittimus. Omnium tuarum virtutum optimum condimentum est singularis modestia*

æquanimitas. Mores enim non variant fortuna in melius variante, animusq; accessu novæ amplitudinis non attollitur, virtutem id indicat, quæ humanã Orationem excedit: quam in te omnes vident, qui dignitatem solis meritis partam (quod in sæculo hoc ambitioso rarissimum est) modestius sustines, quàm acquisivisti. Modestiæ tuæ Comes est (vt fit) humanitas: cujus specimen jam exhibebis, si nobis faveas: qui quod debuimus, non quod voluimus, agimus. Quod si faxis, tuam authoritatem veluti Palladis *ægidem obvertemus eorum calumnijs, qui nos aut laudum defectu (qui error nobis de viris tantis dicentibus maximè opportunus fuit) aut laudum excessu, quales nullos, aut paucos suspicor futuros, gravabunt. Si quid stylo grandiori dictum, id candidus censor libertati Rhetoricæ condonabit: quam amplissimè in demegorijs sacris vsurparunt* Ecclesiæ *purioris proceres.* Tuæ Amplit. *nostras* Musas, *meque (qui tibi plus quàm cuiquam mortalium debeo) commendo: & te, tuaq; omnia,* IEHOVÆ *sospitatori (vt soleo) serijs supplicijs enixe commendabo.*

Reverendissimæ Tuæ

Amplitudini Devotiss.

ANDREAS STRACHANVS,

Physiolog. & inferiorum

Mathematum Professor.





PANEGYRICVS INAVGVRALIS,

Quo Autores, Vindices, & Evergetæ Illuſtris ABERDONENSIS UNIVERSITATIS Iuſtis elogiis ornabantur:

Publicè dictus in Auditorio Maximo COLLEGII REGII *ejuſdem* UNIVERSITATIS, 7. *Kal. Sextil*, *Anno* 1630.

Quo die Candidati Magiſterii, in PHILOSOPHIA, *& Artibus ad gradum illum promovebantur.*



IRTVS clara, æternaque habetur, dixit *Criſpus Romana primus in Hiſtoriâ.* Dicere voluit, virtutis præmium eſt famæ celebritas, & nominis etiam poſt mortem Immortalitas. DEUS naturâ: Homo virtute immortalis. Homo virtute plus quã Homo, Semideus; & tantũ nõ DEVS. Ubi deſinit livor, ibi incipit laus, poſt fata. Et, ut ille, *Vivit poſt funera virtus.* DEVM immortalem! an magni Macedonici Imperatoris ſæculo tam vixiſſe dicendus eſt Philoſophus noſter: quam noſtro hoc, & ſuperioribus aliquot, quando in ſcholis docet, loquitur, regnat, dominatur. Taceo alios cùm a pacis, tùm a belli artibus celeberrimos: quorum fama univerſum orbem hodie replet: cum quibus etſi loqui non datur, de iis tamen loqui non ceſſamus: quo ſe olim ſolabatur S. Hieron. in funere ſui Nepotiani O divinam Virtutem! quâ tanquam ſale vel balſamo Homines

Famæ jacturam,& mortem quasi arcent, & amoliuntur. Quod de arbore Vitæ Doctores sacri, idem de Virtute ego: Hæc nos a mortalium conditione asserit, & vindicat. Immortalitatis appetitum, & conatum a natura hausimus, expressimus: Immortalitatis beneficium Virtuti debemus. Verùm ut Virtus re immortalitatem; ita immortalitas spe Virtutem parit: & *immensum gloria calcar habet*. Quid Heroes ad tot præclara facinora, tot labores, tot pericula, ipsam deniq; mortem impulit,compulit? Nominis perennitas. Quid literatorum principes, & dictatores, ad tot molestias, tot vigilias, tot sudores, tot volumina, tot monumenta ingeniorum consignanda damnavit? Nominis perennitas. Quod de Veritate Tullius, admiratione adductus; idem ego de Fama dicere cogor. O magna vis Famæ! magna vis Gloriæ! Magna est, & prævalet. Egregia omnia, eximia omnia quæcunque sub sole & cœlo sunt, quæ certe plurima & maxima sunt, omnia hæc, secundô locô post magni numinis gloriam, Famæ debemus. *Deam* hanc *facimus cœloque locamus*. Imperatores Homines invicti, & indomiti, qui nil nisi divinum spirabant, quibus universus orbis assurgebat, quibus denique quot erant in orbe Homines tot subditi, tot servi, Gloriæ fasces submiserunt: & ferè quò quisque est animo magè erectus, eò huic (si vanitatem, & ambitionem excludas) est magè addictus. Hæc nulli clientum numerô, meritô cedet. Virtutē, ut meritô est mortalitatis nescia, ita factô immortalem esse jubent omnes viri boni. Hinc profana antiquitas bene meritis tot statuas, tot trophæa, tot obeliscos, tot pyramides, tot colossos posuit. Sacra etiam antiquitas beatam memoriam Sanctorum anniversaria commemoratione celebravit in ipsorum natalitiis. Hoc vel testantur sanctorum diptychæ: quarum apud Ecclesiasticos scriptores haud semel mentio facta. Quidni ergo Musæ nostræ pietas vetat mori dignissimos omni laude viros parentes, patronos, autores & fautores nostri Athenæi? Seriò optarem, ut horum manibus, anno vertente, stato & condicto die ἐναγίσματα persolveremus. Et quo quæso die offi-

cium iuemus cōmodum magis, quam hisce nostris solennibus. ELPHINSTONIA, DUMBARIA, FORBESIA ergo hodie celebrabimus. Quorum unum est meritum, eorum idem erit festum. Hanc triada hodie celebrabimus. Tria hæc sunt maxima nomina. His tribus triplici funiculo (qui non facile rumpitur) nos obstrictos profitemur. Primus ACADEMIAM fundavit: Secundus conservavit, & ampliavit: Tertius eam prope-modum collapsam restituit. Perfectum hunc ternarium hominum perfectissimorum (quorum opera fuerunt, & sunt coram DEO perfectissima) veluti sacrum suspicimus. Quis unus horum trium sufficit elogiis? etiam tot linguas habens, quot olim Pentecostes festo loquutum est S. Apostolorum collegium. Divina horum dona, & merita ille solus æstimare, & deprædicare potest qui dedit DEUS Opt. Max. Linguæ hominum, & ferè Angelorum his impares sunt. Sed quia non omnia, & singula; sed quia de his nihil satis dicere, opis est nostræ, idcirco nihil omnino dicemus? Non committendum. Quis ad DEI immensi, et infiniti laudes sufficit? ἀνεκφώνητα γὰρ ὐδὲν ἐπὶ θεῦ ἀκριβολογεῖσθαι δυνατὸν: ut habet Iustinus Martyr Parænesi prima. Quis tamen nisi vel imprudens, vel ingratus in ejus laudes ora non resolvet? Affectum afferimus ad horum encomia: Ingenium & grandiloquentiam huc nos non afferre testamur. Si minus ore exprimere, animo tamē admirari juvabit horum Heroum dotes: & post increatā & religiosè solummodò adorandam Triadem, huic creatæ triadi cordis triangulum destinare. Cur non illis voluntas sacranda, affectus deinde omnes, memoria denique; quibus intellectum horum omnium moderatorem debemus? Scenam hanc aperiet ELPHINSTONIUS, ut tempore & sæculo; ita hic loco & compellatione primus. A nobis ætatis quidem decursu remotior, meritis tamen conjunctissimus. Hic est ille qui originem habere meruit ex illustri & perantiqua ELPHINSTONIORUM familia: ita conveniebat ut magnis magnus crearetur. Sed splendorem quem exinde mutuatus est, cum fœnore rependit. Nunquam tantam honoris accessionem sensit natio il-

la, quæ GULIELMUM ut virum primarium, & familiæ principem semper suspiciet. Hic est ille quem virtus, quæ propria est, magis nobilitavit, quam decus natalitium, quod fortasse alienum est. Hunc hodie mecum admiramini Aud. què universa PARISIENSIS Schola, SCOTORUM illo sæculo ATHENÆ, & postea AURELIANENSIS è Cathedra (quam non semel ejus compatriotæ tenuerunt) IUS ECCLESIASTICUM proponentē velut oraculum, & gladio veluti Delphico omnes perplexissimos juris nodos rescecantē admirata est. Hunc suspicite, qui tantæ tandem autoritatis inter Gallos fuit, ut eorum Senatus primarius eo in rebus maximis uti voluerit. Sed an hic Propheta propterea in sua patria, ut fit, sine honore fuit? Minimè verò. Melius de ea meruit, qui ejus charitate adductus, posthabitis opibus, & honoribus oppido luculentioribus, quos gens nobis semper conjunctissima ei enixè offerre voluit, totum se ei addixit, & patriæ fumo se involvit. Unde tamen statim luci redditus est. Ad dignitatis apicem & ἀκροθίνιον per saltum non pervenit: quomodo solent illi, qui magè alienâ gratiâ, quàm suis meritis eo provehuntur. Postquam GLASCUÆ primò, & deinde ANDREAPOLI (ubi sedes sunt Archiepiscoporum) OFFICIALIS (ut vocant) ceu Ecclesiastici dicastæ munere defunctus est: quod officium Viris eruditissimis illô sæculô tantùm deferebatur: postea inter Supremos Regni Consiliarios adscitus, oracula tanquam ex tripode fundebat, omnibus aliis apolectis pedibus in ejus sententiam euntibus. Tandem, utriusque cum privati, tum magni sigilli custodia auctus, regni magnus CANCELLARIUS solo DEO, & sub illo Rege minor factus: & quid si hoc fortasse quadam ratione major? Sacerdos enim fuit, & Antistes ABERDONENSIS, & designatione ANDREÆ Archiepiscopus. Porrò pergere non dabatur. Supremū in politia sub Rege locum tenuit, supremum in Ecclesia locum tenere potuit: utriusque horizon, nexus, & confinium: quod de anima humana dicebat Ter-maximus in Asclepio. Trib⁹ summis Regibus ordine succedētibus æquè charus fuit: quod rarissimi est exempli. IACOBUS III, & IV. in amore

Guliel

GULIELMI solùm ferè cōcordes: nec mutuæ simultates inter patrem & filium communē in GULIELMUM benevolentiam delere potuerunt. Nullâ re aliâ majorem inter homines gloriam comparavit: quam legationibus summa cum laude, & fructu obitis: quarum prima fuit ad LUDOVICUM XI. GALLIARUM Regem, principem prudentiæ laude Clarissimum: qui GULIELMUM tanta benevolentia est complexus; ut veluti indigenam inter regni primarios Consiliarios numerari voluerit. Ad ANGLIÆ Regem non semel optimo successu Legatus. Tandem ipsum Cæsarem MAXIMILIANUM salutavit. Præsentia multa regna & Provincias: Fama verò totum ferè orbem implevit. Illo annitente Iani Templum obsignatum: ejus auspiciis pax alma terris reddita: ita ut omnes gentes charissimæ illi animæ benedicere potuerint. Magnus (ut accepistis) GULIELMI, magnus certè axiomatum cumulus fuit: at meritorum major. Gloria ad ipsum solum: utilitas ad universum regnum: imò ferè ad universum orbem: ad nos tamen potissimum pertinet. GULIELMUS hic primū ab immanitate barbara nos vindicavit. Præclarū hoc ECCLESIÆ, præclarum POLITIÆ lumen nos de tenebris cimmeriis eripuit. Sol hic SCOTOS, verius SCYTHAS Septentrionales, velut glaciem ad omnem malam malitiam, & feritatem induratos ingeniorum cultura mitescere fecit. Illi debemus in summa quod homines sumus, & ratione uti possumus: imò illi & rationem, & Religionem, & in DEUM pietatem debemus: qua plus quam homines sumus. ANDREAPOLI, & GLASCUÆ Scholæ jam apertæ fuerunt: sola nostra Patria neglecta, aut saltem non ita exculta: donec singulari providentia DEUS GULIELMUM servuum suum excitavit: qui hoc quod videtis Athenæum ædificiorum amplitudine, & specie, supellectilis splendore, redituum opulentia, membrorum varietate, Præceptorum numerô, Privilegiorum copia, Alumnorum denique numerô, & meritô nulli in toto hoc Regno fortasse secundùm: cujus omnes hodie lapides, omnes trabes [DEUM Immortalem] cum Oratorum Principe (ut loquar) GULIELMUM

 loqui,

loqui, & prædicare videntur, & ad ejus memoriam gestire. Et certè cum in ædes oculos converto, solis regiam mihi videre videor: illis nihil magnificentius: nihil augustius. Quid referam TEMPLUM ex polito, & quadrato lapide constructum affabre? Quid in eo vitrinas cœlaturas? Quid subsellia mira arte fabricata? Quid ei incumbens campinile editissimum? cui arcus lapideus instar diadematis imperialis manu DÆDALI efformatus supereminet. Quid in eo tredecim campanas? quæ vel lapides dulcissima melodia ad sacra vocarent. Quid aulam vel regibus invidendam? Quid Musæa privata? Quid publica auditoria? quorum vel Majestas ad studia invitat. Sed cùm nihil magis decoro repugnet, quàm in laxa domo curta supellex, & angusta res in domo augusta, cætera voluit esse paria *GULIELMUS*. Vasis ex melioris notæ metallis ad omnes usus, Vestimentis & Ornamentis ad sacros usus, Aulæis, Tapetiis, Peripetasmatis, & Peristromatis omni denique supellectile abundè instruxit: credidisses ATTALI Regiam. Nescio an in APPELLIS, aut POLYCLETI officina, plura artis statuariæ, & Pictoriæ monumenta prostabant. Vastus est animus, qui sumptus quos in hæc impendit sanctissimus ille Antistes cogitare potest: quibus centimani labores adjecit, ac nec his etiam haud absque immodicis sumptibus defungi potuit, dum anno primò 1494. Bullam ab ALEXANDRO VI. Pontifice (qui ut non solùm laudablili huic instituto se favere testatum faceret; sed etiam se promovere velle, proventus qui ex Sancti GERMANI Hospitali, ei accrescebant UNIVERSITATI donavit, Anno 1495.) impetrat; pro erigendo in Veteri ABERDONIA studio generali, ut vocant: dum ab eodem literas conservatoriales UNIVERSITATIS Anno 1504. procurat: dum à IULIO II. ALEXANDRI Successore, Collegii BEATÆ MARIÆ IN NATIVITATE dicti erectionem confirmandam curat: dum hæc omnia autoritate Regis IACOBI IIII. munit: qui postquam UNIVERSITATEM Regia liberalitate auxit, ejus Patrocinium suscepit. Unde *COLLE-*

GIVM REGIVM audit PALLADIS hoc delubrum, quod GULIELMI pietas sacravit. Ad IACOBI IIII. exemplum, IACOBUS V. MARIA hujus Filia Regina, IACOBUS deniq; VI. (cujus augusta memoria adhuc fervet) ejus immunitates, & Privilegia rata habuerunt: eamque tanquam Filiam multò chariorem complectentes, ab omni injuria salvam, & incolumem præstiterunt. Hodieque CAROLO Invictissimo, & Potentissimo nostro REGE vindice, & Patrono gloriatur. Non me fugit, non deesse viros cùm primis eruditos (inter quos sunt PETRUS BERTIUS, in TABUL. GEOGRAPHIC. EPITOME, & alter qui hoc de industria agens Lingua vernacula omnium totius EUROPÆ ACADEMIARUM natales extruit, cum aliis) quibus placet, ACADEMIAM nostram aliis omnibus in nostra Patria esse multò annosiorem: utpote ALEXANDRI II. Regis tempore initia sortitam Anno circiter 1220. Scriptoribus exoticis, suspicor id quod res est, occasionem incunabula nostræ ACADEMIÆ à tam alto principio repetendi, præbuisse BOETII nostri verba, LIB. xiij. HIST. SCOT. in Vita ALEXANDRI II. quibus asserit ABERDONIAM jam ante à GREGORIO, MALCOLMO inde II. ac postea à DAVIDE GULIELMI Regis Fratre multis Privilegiis ornatam, ALEXANDRUM illum II. cum Sorore ISABELLA pluribus auxisse. Eruditissimum, utcunque (ut apparet) GULIELMUM, magnus eruditionis zelus, & amor tenuit: qui eruditionem (qualem ferebant ea tempora) hic olim florentem, belli verò inclementiâ, & quæ hinc consequitur barbariè, veluti fulmine afflatam, & penitus deletam recrudescere, & reflorescere effecit. Scilicet hæ sunt rerum vices, quando bifrontis illius DEI TEMPLUM clauditur, Scholæ aperiuntur: & vice versa. Eruditionem ab eruditis, quemadmodum SAPIENTIA à suis, MAGNI fieri, & promoveri docet hodie vel GULIELMUM exemplum.

Charitas equidem Magna *GULIELMI* in Literarum ſtudia, & literatos. Sed an hujus radix; an fides minor? Minimè verò. Conſignata eſt ſacris tabulis, & ab omnibus celebrata Apoſtolorum coryphæi fides: qua aquis inambulavit. Non ſuſtineo alios, quantæcunque notæ ſunt, cum Apoſtolorum minimo componere. Dicam tamen audacter. Non invenio talem fidem in noſtro ISRAELE qualis *GULIELMI* fuit: cujus beneficio hominum exercit⁹ quotidie ſuper aquas incedunt. Et cujuſmodi hic fuit cui flumina obſecundarunt? Quid velim ſubodoratis. Pontem nobiliſſimo Deæ fluvio injecit Dius ipſe: qui ſeptem columnis præaltis, operis teſſellati innixus, admirationem ſui omnibus excitat. Et ſi inter magni orbis ſeptem miracula locum non invenit; inter noſtri μικροκόσμυ, ceu diviſi orbis oſtenta locum cum primis vendicat: ſumptum enim ratione, operis neceſſitate, & ſtructuræ magnificentia cum Gymnaſio noſtro tantùm non certat. Quot quæſo, ab ejus ætate, ſi ponte aquas non ſtraviſſet, qui aquas jam calcant, ab aquis calcati, & obruti fuiſſent? Dum ergo aliis pontem in terra, ipſe ſibi in Cœlos pontem, & faciliorem aditum parat. Non jam dicam, quantum Templum Cathedrale S. M*ACARIO* dicatum, donariis honeſtarit: Sacris utenſilibus locupletarit: campanarum præſertim numero: quarum paſſim apud nos divinus fuit concentus, & cœleſtis modulatio: & campinilis impendio ſuperbi (cujus proſpectus latiſſime omnibus patebat: & nautis in mari alto procul arida verſantibus primo omninm ſe conſpiciendam præbebat: iis dum cynoſuræ cujuſdam inſtar eſſet) amplioris denique chori ædificatione adauxerit. Si omnia convaſarem, & ordine quæque ſuo digererem, & promerem, quæ *GULIELMUS* memoratu digna præſtitit, quando tandem dicendi finis eſſet? Vix ſæculo quiſquam comprehendet, quæ ſæculo ipſe patravit. Sed ambigitur utrum magis ſollicitus ſua FACTO, an gentis facinora SCRIPTO memoriæ poſterorum commendare? Notum, ah nimis notum eſt, ANGLORUM Gentem plus animis quondam à nobis alienam; quam locô conjunctam, occaſione inteſtinorum, & in-

ternecinorum odiorum (quibus tunc nostra Patria flebiliter laborabat) Regnum hoc nostrum occupasse: & sui, propè erat, juris fecisse: ac non solum in corpora sæviisse; agros depopulatos, bona mobilia deprædatos esse; sed (quod fuit extremum odium, & ultima invidiæ linea) memoriam gloriosam nostræ gentis opprimere, & rerum egregiè gestarum Historiam, Commentarios, Annales, Fastos omnes unâ quasi liturâ delere voluisse: probe conscii cum fuerint nostram gloriam, illo sæculô, cum illorum ignominia, (ut inter hostes fieri amat) ferè conjunctam. Et certè inter Aborigines & Terræ Filios relati fuissemus: nostræ gentis origo & prosapies æquè futura fuit, ac Nili fontes incerta: nostræ denique gentis nobilitas æternis tenebris damnata fuisset: nisi opportunè succurrisset GULIELMUS, & prisca monumenta per omnes oras & angulos, feriâ & sollicitâ indagine tandem reperta, ad Cleanthis lucernam elucubrasset, & luci iterum nos restituisset. Quod suo sæculô vixerunt primores nostri, DEO, & Naturæ debuerunt: quod nostrô hoc sæculô vivant ELPHINSTONIO debemus: quem cum videret DEUS ad Heroica hæc, & Pietatis opera omnia comparatum, illi benefaciendi opportunitatem non invidit; sed χαρίεντως ei 30. annorum Pontificatum indulsit: ab Anno enim SALVATORIS 1584. ad Annum 1514. hic sedit; quô annorum satur, & benefactis onustus piissimam animam DEO parenti reddidit. Sicut enim naves onerariæ tardius labuntur & appellunt quam actuariæ: ita ingentes illæ animæ quæ rectè gestorum sarcinas colligunt, serius immortalitatis portum consequuntur. Cur non hodie GULIELMUM ut Patriæ patrem salutatum imus? Quam grata debet esse ejus memoria, cui tot Heroum gratam memoriam acceptam referimus? Dicite primo pæan ejus manibus ACADEMICI omnes, omnes quotquot estis, qui certè plurimi estis, qui ex nostro Gymnasio tanquam ex equo Trojano prodiistis. Benedicite ejus memoriæ viatores omnes. Tantùm illum super æthera extollite, quantùm ille vos super aquas. Omnes denique ingenui SCOTI ejus æternitati aram ponite: qui effecit

ut SCOTIÆ nomen æternum & immortale esset. Magna quidem hæc sunt quæ de GULIELMO commemoravimus: sed tamen tam vera esse, quàm quæ maxime vera sunt novistis Aud. Hic nihilominus omnem paginam non implebit. DUMBARI Antistitis ab illo optimi secundæ erunt partes: qui sicuti GULIELMUM τῆς διαδοχῆς serie sequitur; ita laude & meritis assequitur. Ne quid magis.

Non minor est Virtus, quàm quærere, parta tueri,

ait VATES *Sulmonensis*. Imo

Plus est servasse repertum,
Quam quæsisse novuum.

GULIELMO propositum & conatum, GAVINO ἀποτέλεσμα, & operis complementum debemus. GULIELMUS pietatis opera, maximam partem, quæ animô & votô perfecit, morte præventus factô perficere haudquaquam potuit. Quare ultimis mandatis aliis ea exequenda suis sumptibus commendavit: illis præsertim, qui in sede ABERDONENSI divina providentia sibi surrogandi essent. Illi autem quum ALEXANDER GORDONUS, de Illustrissima & Potētissima GORDONORUM Natione Successor datus fuisset: & (morbo jugi ejus studia sufflaminante per integrum triennium quo Cathedram hanc occupavit) nullum operæ pretium præstitisset: GAVINUS deinde DUMBARUS suffectus est, haud absque numine: qui GULIELMI votis plus quàm satisfecit. GULIELMI ergo opus affectum; GAVINI perfectum. Quorsum & cui bono, tanta molimina? si in medio derelicta, ni optatum & designatum exitum fuissent consecuta. GULIELMUS plantavit; GAVINUS rigavit. GVLIELMVS primam manum: GAVINVS ultimam operi admovit. GVLIELMVS opus penicillo adumbravit, qualiter solent primo Pictores, GAVINVS lumen & colores addidit. Apud populum segregem obtinuit, ut fratri improli vita functo frater superstes semen suscitaret. Mater omnium nostrum ACADEMIA GULIELMI Filia fuit: cui & quidem ex lapidibus semen suscitavit Frater GAVINVS. Dubitant naturæ mystæ, utrum

fœtus parens sit avis quæ ova deponit? An quæ incubatu ex alienis ovis fœtum educit? Ne hanc controversiam nostram faciamus, magnus hic pietatis fœtus per me licet utroque hoc parente gaudeat. GVLIELMO qui *Ovum hoc aureum* peperit, & GAVINO qui diligenter incubuit fœturæ exclusioni. Licebit mihi illud Poëtæ retractare, *In magnis voluisse sat est*. Licebit & illi occinere, *In magnis voluisse vix sat est*. Voluisse quidem in magnis magnum: aggredi majus: perficere verò maximum. *Finis Opus coronat*. De GAVINO hæc fortasse dixisse sufficiet, quia eadem Fabula, vel vera potius Historia, quam de GVLIELMO pertexuimus, mutato nomine, de GAVINO narratur. Verum ejus major laus est, quod non solum operam; sed & sumptus contribuit, temporarios quidem: dum DONÆ Fluvii celebris (qui dum ab antiquis adeo temporibus excitatus fuit, vix Autorem novit) Pontem refecit resarsit, & quodam modo interpolavit: dum GVLIELMI legata vel interversa, vel operi in manibus crescenti non usquequaque respondentia supplet: perpetuos verò, dum proventus donavit, quibus D*EÆ* Fluvii pons (quem ille GVLIELMI quidem auspiciis, & impendio extruxerat) conservari, & refici possit: ne temporis (cujus longinqua vetustas valet omnia mutare) injuria, in pejus rueret, & hoc tantô commodô viatores fraudarentur: multum in hoc absimilis GAVINVS Navium Architectis; qui postquam semel naves compegerunt, & mari crediderunt, de cætero nihil solliciti sunt. Sed enim parum fuit GAVINO alienis fundamentis inædificare. Ipse sua jecit. Fanum Fratrum F*RANCISCANORVM* NÆ ABREDONENSE (quo nihil ibi magnificentius visitur) erexit. Ptochodochium amplum & accommodum in V*ETERI* ABERDONIA constituit; in quo reditibus ab ipso legatis XII. egeni aluntur: quorum pensum est sedem, & G*YMNASIVM* A*BERDONENSE* IEHOVÆ sospitatori commendare. S. M*ACARII* basilicam, ὁ μακαρίτης hic, βασιλικῶς, ædificiorum novorum artè maxima

elaboratorum accessione, veterum etiam instauratione exornavit. Basilicæ hujus Sacellanos (quos communis in DEI Domo λειτεργία conciliavit) Ædes privatas communes habere voluit, amplas & splendidas, palatii in morem quadrilateras, majoris certè ambitus quàm est nostrum Gymnasium. Liberè Dicam Sacellanis quibuslibet in nostra Patria haud obtigisse ædes augustiores. Permirùm unum aliquem tot tantaque potuisse. Verum quid mirum? Cum proditum sit in Historia nostra omnes illum sedis *ABERDONENSIS* proventus (qui illo seculo amplissimi fuerunt) ad teruncium, per totos 13. annos quibus eam tenuit, ab anno videlicet 1519. ad annum 1532. in usus pios seposuisse, & sequestrasse: nihil privatis suis usibus, nihil domesticis charitatibus de iis indulgens. Sibi enim, & suis affatim prospexit de bonis patrimonialibus, quę ei ex Moravię Vice-Comite nobili loco nato abundè obtigerunt, & ex aliis quę ei vel Principis benevolentia, qua pollebat, vel chartophylacis munere nactus est. Quantum moriens viris Ecclesiasticis quibus addictior erat; quantum cognatis suis, pręcipuè verò virginibus egenis, dotis nomine, pro iis elocandis Testamentô reliquit, Fidem superat: vivuus cum tot opes, in omnes usus, cum privatos, tum publicos prodegerit. Semper DUMBARUM pro Viro Maximo agnoscitè; quem Serenissimus Rex IACOBUS IV. inter Regni sui Consiliarios intimos cooptare, & cui chartophylacium regni credere voluit. Scilicet antiqua DUMBARORUM virtus in GAVINO emicuit, qui quantum alii illius gentis fortitudine, tantum ille prudentia, justitia, & vera pietate valuit. Pręterieram, parum aberat, *GULIELMUM STUARTUM*, Pręsulem meritissimum, & inter primos nostros Benefactores commemorandum: qui G*AVINUM* in sede *ABERDONENSI* proximè excepit: quam ab anno 1532. ad annum 1545. fœliciter administravit. Verum memorię, non affectus defectum hunc putate. Ferè enim experimnr memorię idem usu venire, quod honori: fugientes sequitur, & sequentes fugit. Certè fermè nunquam minùs memoramur, quàm cum maxime

volumus. GVLIELMVS hic sæculô propior nobis: at certè obscurior. Quod Physiologi dictant, ad claram & distinctam visionem, debitam distantiam requiri, secundùm quam id quod videndum proponitur, nec oculo nimis admovendum, nec nimis ab eo removendum, id ego ratum habeo: sive id corporis; sive Historiæ oculo adaptetur. Canities enim multorum sæculorum oculum Historiæ disgregat: & quæ vicina nimis sunt ejusdem oculus non congregat: putat enim, hæc famæ, non memoriæ, cui ipsa deservit, interesse. Illa non valet accuratè contueri: hæc non vult liberè commemorare. Si quid tamen traditioni (quæ Historiam peperit) tribuendum: GVLIELMVM accepimus virum fuisse prudentissimum, & in rebus gerendis fœlicissimum. Hujus argumentum esto, successus τῆς πρεσβείας ad HENRICUM VIII. ANGLORVM Regem haud semel factæ: qua quod alii idem agentes tenere non potuerunt, pervicit, & impetravit; inducias, vel, ut aliis placet, plenariam pacem inter HENRICUM, & IACOBUM V. ejus ex Sorore nepotem faciens, haud absque Regni, & Reipublicæ nostrę insigni compendio. GVLIELMVM hunc Regii nominis virum voluit Rex esse proxenetam, & nuptiarum inter se, & MAGDALENAM, GALLIARVM Regis Filiam pararium: quem & Quęstoris, ceu Magni Thesaurarij munere cohonestavit: DEO providente ut in tres viros maximos, sedis ABERDONENSIS protomystas, tria maxima Regni nostri munia & axiomata conferrentur. Verùm animus GVLIELMO non fuit, Thesaurum in terra facere, qui fraudi patet, & rubigine eroditur. Dignius se existimavit Thesaurum bonorum operum in Cœlos prędmittere. ACADEMIÆ nostræ dignitatem ab ELPHINSTONO, & DVMBARO partam, pro virili tutatus est. Et quum parum decoro consentaneum censeret, ACADEMIÆ Sacellanos humiles habitare casas, quibus decessorum Consiliô stationes ampliores designatæ erant, ipse mansiones ipsis dignas fieri fecit, idq; suis impensis, Prędia simul addidit his contigua haud ignobilia. Denique priori

ACADEMIÆ fabricæ librariam addidit amplam & elegantem: quam & extruxit, & post alios instruxit. Eâdem curâ gazophylacium, in quo cimelia, & ACADEMIÆ archiva reponerentur, & CAPITULUM (ut vocant in quo ejusdem publica comitia fierent, struxit. ZOROBABELI, & ESDRÆ, qui secundum TEMPLUM, non minus; & quid si fortasse plus tribuendum, quàm SALOMONI: qui primum TEMPLUM DOMINO exædificavit. Pacificus hic tam otiô, quàm rerum copiâ abundabat: parumque ei fuit, idcircò, quodcunque ferebat vastus animus, perficere: illi verò cum non tam sui, quàm alieni juris essent, contra omnes invidiæ, & malè feriatorum hominum machinationes, inter armorum strepitus, non tam malleis, & tuditibus, quam gladiis, & galeis, secundum illud TEMPLUM, ædificii quidem gloriâ impar, at procuratorum gloriâ facilè par extruxerunt. ELPHINSTONI, DVMBARI, & STVARTI fuit primum GYMNASIUM, qui autoritate pollebant, opibus diffluebant, & in sæculo nimis religioso vivebant. Solius FORBESII est secundum GYMNASIUM: qui invictô & obstinatô animô, laboribus Thesei, vel Herculis, saxeô hoc sæculô, primum illud tantùm non lapsum, & ad rudera revocatum postliminio excitavit: & Præposito nostro, viro optimo (ut nihil ejus auribus dem) sub tanto onere iniquissimis temporibus penè fatiscenti, animos addidit, & de Republica propemodum desperanti reddidit. O incomparabilem gloriam! licet ego S. Præsulis Hipponensis Mirabiliariis accenseaṛ; miracula tamen nostrô sæculô non desiisse fortiter credam: inter quæ primum hoc est quod nostri Antistitis sanctitas produxit. Matrem nostram, mortuam quasi, vitæ reddidit: ac velut ELISÆVS alter ipsi suaviter incubuit: manus manibus, os ori admovit. DEUS bone! quam subita mutatio? quæ modo lugubris, & amens, saccô & ciliciô induta humi serpebat, jam animos resumpsisse viribus in præcordia redeuntibus, gestire, exultare, & quasi Cœlos digitô attigisse videtur. O diem omnium acclamationibus faustissimum! O lucis ju-

tar aureum! quo FORBESIVS noster, & Cleri, & Populi votis antè expetitus, autoritate Regia, annitentibus Præsulibus, communibus totius Cleri suffragiis, secundùm priscos canones, ABERDONENSIS Episcopus renunciatus est. Exinde ACADEMIA (quæ aliorum ἢ ὀλίγῳ, ἢ ἀμελείᾳ, ad angustias illas redacta est, quas si vel fando audiretis, vix à lachrymis temperare possetis) sibi optima quæque polliceri. Nec fefellit spes. Vix enim in sede incaluit PATRICIVS, quum in ACADEMIAM genibus ejus advolutam, & suppetias efflagitantem, oculos, animúmque convertit. Quumque sui officii esse vidisset eam moderari, statim invisit, inspicit, languores ejus sanat, luxata restituit, inordinata componit, singulos denique quod sui erat officii facere & jubet, & facit. Ex illo tempore Cœlum ACADEMIÆ nostræ velut Hercules alter sustinuit. Ille, veluti primum mobile, nobis Rectorem Magnificum D. D. IACOBUM SANDILANDIUM, ad cujus nomen gestio, utriusque Iuris Doctorem eximium præfecit, Virum cõsultissimũ, judicii subactissimi, nec in suo tãtùm campo miræ eruditionis: qui summa cum solertia & fidelitate suo officio defungitur: ut est spectatæ probitatis, & summę integritatis: imò quod sui officii non erat gratiis præstitit: Iuris enim professionem quamdiu per valetudinẽ afflictã, & ætatem declivẽ licuit, summo cum applausu tenuit. Idem PATRICIUS nobis Decanũ Facultatis Theogicæ spectabilem dedit D. D. Doctorem GULIELMUM FORBESIUM, ad cujus nomen obstupesco. Scientiarum is est Oceanus, eruditionis abyssus, quod de suo SCALIGERO dicebat Vir Clariss. D. HEINSIUS: βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατῶν, quod de DIONYSIO LONGINO dicebat EUNAPIUS. In Bibliotheca, quam habet, instructissima nullam se doctiorẽ schedam agnoscit: & tamen non mavult quicquam scribere, quàm scire. Nescio an Theologũ majorem oculus hic mundi nôrit. Meliorẽ certè virum hæc ætas non tulit. Natus videtur, & ad Regiæ huj⁹ Academię, & ad Collegii Mareschallani (cujus aliquãdo Gymnasiarcha fuit dignissimus) ornamẽtũ & cõmodũ.

PATRICIUS Privilegia ob soleta, & temporis præscriptione ferè emortua. & invalida facta, vitam, vim, & vigorem usu recuperare effecit. Brutum est sui roboris conscium non esse. Inane est Privilegia jactare; & eadem non usurpare. Quod cum non fugeret PATRICIUM, supremas dignitates Scholasticas, in viros omni laude majores (quorum vos hic vultus videtis) qui vel ipsas dignitates honorarunt, conferri curavit. Quid memorem SANDILANDIOS, RHÆTOS, BARONIOS, SCROGIOS, SIBBALDOS, LESLÆOS maxima illa nomina, quę non ut hominum eruditorum; sed ut eruditionis ipsius, quod de TULLII eloquentia dixit Rhetor, usurpare solent. DEUS mi! quanta diei illius celebritas, quo tot pileati PATRES, THEOLOGIÆ, IURIS, & MEDICINÆ DOCTORES, & BACCALAUREI, de GYMNASIO nostro, velut agmine facto, prodierunt: quô tot Orationum flosculis spargebantur, tot rationum arietibus sonabant, & strepebant nostra auditoria. Quanta auditorum frequentia! quantus eruditorum concursus! Rem hanc inusitatam, & nescio an ullô sęculô tãtâ celebritate hîc ante factã viderunt plurimi: admirati sunt,& obstupuerunt omnes. Imò hujus rei Famâ excitati alienigenę, hîc gradus ambierunt. Unũ laudo PARKINUM ANGLUM, qui anno hinc elapso, Medicinæ Doctor renunciatus est: & rem sibi gratissimam factam grati animi argumentis testatum fecit. O vices rerum! nos non ita pridem, apud alios, titulos emendicabamus: nunc alii à nobis eosdem procantur, & repetunt. O prædicandum hoc sæculum! quô nec Scholæ nostræ Privilegia desunt alumnis, nec alumni Privilegiis. PATRICIO satis non fuit aliena restituere; nisi & ipse sua institueret. Ille nobis Theologiæ professionem novam, eademque manu ejus Professorem dignissimum D. D. Doctorem IOHANNEM FORBESIUM, dignissimum tanto Patre Filium dedit: & postulatîs, & calculis sui Cleri ad hoc incitatus, & inductus. Anxiè sollicitant ASTRONOMI critici pręsagia neoterici syderis, Anni 72. post 1500. cui locus fuit in Cathedra CASSIOPEÆ. Talium

peregrinarum apparentiarum προγνῶσιν, quasi ex alto eludere humani ingenii perspicacitatem, nullus dubito. Si liberè tamen conjectare licet, fortasse insolita illa stella Cathedram occupans, inter alia, virum insolentis eruditionis, & pietatis, Cathedram nostram occupaturum portendit: quanta enim prudentia, & quam varia eruditio in hoc candoris genio confluant, effari vix sustineo. Neminem hîc latere potest, quàm benè de Clero ABERDONENSI meruit IOHANNES; qui suô exemplô illos qui Sacris initiati erant, veluti calcare ad altiorem eruditionem excitavit; illos verò qui Sacræ Scientiæ consecranei erant, & sunt, diatribis suis reconditâ literaturâ plenissimis, ad altiora munia Ecclesiastica idoneos præstat. Dum Pater in Disciplina & Moribus formandis, ille in Doctrina & mentibus informandis laborat: vir tàm omnium sęculorum, quàm hujus in quo vivitur æquè gnarus: dum antiquitatibus (quarum callentissimus est) strenuè incumbit. Hospes est qui ignorat quàm bellè de universa ECCLESIA SCOTICANA meritus est, vir pacis studiosissimus: dum ad sopiendum prophanum schismatis, & dissidii ignem, quô nostra ECCLESIA, proh dolor, tota ardet & flagrat, præter vota & lachrymas, etiam Librum suum pacalem contribuit: qui omnibus doctis, & æquis rerum æstimatoribus, & nomine, & argumentô, & re ipsâ mirificè placet. Accedit ad cumulum laudum Antistitis nostri, quod nescio quô illiciô, quâ virtute magneticâ quasi, eruditos omnes ferè ad se trahit: adeo ut hîc crescat flos SCOTICÆ eruditionis. Et certè majus habetur eruditionem promovere, quàm habere. Hoc viri privati est: illud autoritate pollentis. Nemo sagacior ingeniorum æstimator, nemo æquior meritorum renumerator PATRICIO: qui ipse ad divinam, & fermè incomparabilē ingenii vim, quam ab alma parente natura habet, solidam eruditionem, quæ sola vera est, adjecit. Nescio an majori ambitione eruditi illum, an ille eruditos quærat: ut est similium mutuus amor, mutuum desiderium. Neminem fugit, quanta cum sollicitudine D. D. Doctorē ROBERTUM BARONIUM, in ABER-

DONIAM ad Verbi Divini Præconium, & Theologiæ Professionem novam, aureô hoc PATRICII sæculô suscitatã vocari curârit. Hic est ille mellitus Doctor, qui morum suavitate, & elegantiâ ad omnes promerēdos natus est. Hic est ille qui subtilitatem Seraphicam cum summa perspicuitate posse conjungi ostendit. Hic est ille denique qui scriptis inclaruit: & recèns in vindicandis contra Adversarium negotiosissimũ, Fidei, & divinæ scientiæ principiis, se eruditionis sacræ finem & perfectionem assequutum arguit. Quanta doctorum in omni genere hîc turba est! quantus Theologorũ numerus! quanta gravitas! quãta venerabilitas! quanta cum eruditione summa sanctitas! Quantus Medicorum grex! quanta claritas! quantus splendor! quanta industria! quantus successus! Ut alios præteream, quaternio hîc est Medicorum lectissimorũ, & celeberrimorum: qui dum ad cõmunicanda Consilia coëunt, Συνέδριον Ἀμφικτυονικὸν faciunt. Hi sunt naturæ archimystæ, Asclepiadum gloria, Phœbi decus. Hi sunt qui ad artem illam Machaoniam omnia subsidia, omnia ornamenta adjunxerunt. Quantum uterq; IOHNSTONUS, ejusdem uteri, ejusdẽ artis fratres, magnum gentis, maximum suæ Amplissi. familię decus, Mathesi profunda, quantum Poësi, & in pangendis carminibus valeant, novistis. ARTHURUS, Medicus Regius, & divinus Poëta Elegiæ & Epigrammatis, quibus non solum suę ætatis homines superat, verũ antiquissimos quosq; ęquat: GULIELMUS rei Herbarię, & Mathematum (quorũ Professor meritissimus est) gloria cluit. De GULIELMO certè idẽ usurpare possumus, quod olim de Tito Imperat. suavissimo dictũ est, *Deliciæ est humani generis*; tãta est ejus comitas, tãta urbanitas. Quantis cùm opibus, tùm honoribus GALENUS DUNÆUM Medicum, cùm doctrina, tùm usu pręstantissimum cumularit, non divinari audeo. Non fori, non causidicorum limina teruntur magis, ac ejus ædes. Illum salutant PATRICII; veneratur plebs. De illo (ut olim de HOMERI Patria) certat nostra ACADEMIA, cũ MARESCHALLANO COLLEGIO: dum nos ipsi Medicinę Professionem, illi eidem GYMNASII sui curam primam detulerunt. Quam denique apte cum subli-

mi, & ætherea suę artis contemplatione, facilem & expeditam praxim consociavit GORDONIUS: Medicus, & Alchymista eximius, ætate quidem aliis minor; at prudentiâ, morum gravitate, & vitę sanctimoniâ (quā pleriq; dū causis secundis inhęrent negligūt) nemini secundus: quibus omnibus de gente illa (ex qua multi fuerūt, qui bellô insignē gloriam peperêrūt) posse etiam ingenia pacis artibus valentia prodire comprobavit. Quod si corporum cœlestium conjunctionem cum cura observant Astronomi: Nonne & nobis tot cœlestium, & divinorum ingeniorum conjunctio observanda fuit? Ad extremos Indos fortasse curremus, omnia Minervę sacraria scrutabimur, antequàm tot viros undequaque absolutissimos, idem Cœlum carpere, easdem sedes habitare comperiamus: quibus ducibus morborū omnium phalanges profligari possunt: quos genuit parens natura, ut in senio matrē sustentarent. Magni illi REMI ac ROMULI nepotes, rerum observantissimi, non solùm quid à quoq; Consule gestum fuerit, verum etiam quid quoq; Consule rempublicam administrante factum fuerit, in tabulas retulerunt. Hoc fœlicitatis est: illud virtutis. Quod si nos ea omnia recenseremus, quę & à PATRICIO patrata sunt, & ab aliis, illô clavuum tenente, haberemus cur horum temporum fœlicitatem meritò prędicaremus. Scilicet ea est pietatis merces, DEUS non solum suorum conatus fortunat; sed & ipsam sęculorum rationem, & alia omnia in eorum laudem ducit, & trahit. PATRICIO deniqne ἀναπλασμὸν, & ἀπαρτισμὸν, qui hôc demum annô obtigit, debemus: quô & auditorum profectui, & pręceptorum dignitati, & laboribus consultum est: dum Regentes in artibus, qui & linguam Gręcam, & integram Philosophiam pędagogicè tenebantur prælegere, certæ alicui professioni honorariæ destinavit. Mirantur fortasse extranei, rerum apud nos immutationem, postquàm suô locô tot annis steterunt. Dicam tamen non absque gravissimis rationibus, & post maturiorem deliberationem factam. In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut ab eo jure recedatur quod diu æquum visum est, ait Lex Imperatoria.

Eadem tamen Lex, etsi nihil facilè ex solennibus mutandū est, tamen ubi evidens poscit æquitas, subveniendū est. Neq; enim unquā rigida illa Locrensium politia, quæ nullam legum mutationem patiebatur, mihi placere potuit. Et quis, quæso, qui oculos in fronte gestat, hîc non videt evidentem æquitatem, & propemodum necessitatem. Antea ubique fuimus, ac proinde nullibi fuimus. Professio vaga, incerta, volatica, & cursoria. Omnia consectandô omnia deperdimus; vel saltem nihil egregiè præter cætera, sed omnia mediocriter: si tamen mediocriter, ut habet Latinissimus Comicus. Iam pedem fiximus. Spartam unam nacti sumus, hanc exornare enitemur. Qui iter longinquum fœliciter conficere volunt, ii equos subinde mutant, unum semper non urgent. Qui stadium Philosophicum optimè emetiri volunt, hoc per Præceptores, velut equos dispositos præstabunt. Ad scientiarum mare, & vastissimum disciplinarū omnium Oceanum enavigandum, vix sufficit unus PALINURUS. Adverititis ne Aud. eos qui τὴν παιδείαν ἐγκυκλίον comprehendere volunt, vertigine plerumque laborare, & sibi vix satis constare: quod familiare est iis, qui intra circulum se expatiandô sese fatigant. Quidam etiam circulum hunc labyrinthum experiuntur; quô se nunquam expedire queunt. Quis quadrigam hanc Professorum instruxit? quis agit? quis, nisi πολύμητις Antistes? cujus tantô excellentior gloria est in benefaciendo, quòd & gentis nostræ, & universi ferè sæculi hodiernum genium superet. Quòd ferreum hoc sit sæculum, nos malè habet. *Vix in terra fides, & refrixit charitas multorum.* *V*tinàm non magis malorum, quam bonorum ferax esset sæculum hoc, omni ratione ultimum: quo *victa jacet pietas.* *V*tinam non infœcundiora essent nostra corda, quam est nostrum solum. Non ita pridem poterat nostrà Patria, pro facultatum tenuitate, cum quavis alia ferè componi, in pietatis & charitatis operibus: & fortasse aliis multis in his facem præferre. Ite, videte basilicarum, cœnobiorum, aliarúmque religiosarum domuum pomposas, superbas, & insanas ferè substructiones: quibus instaurandis, vix totius Sco-

tiæ pretium, si hastæ subjiceretur, sufficeret. Perpendite, æstimate redituum, & emolumētorum invidiosam amplitudinem; & proclive erit cognoscere, quàm degeneres simus ab avis, & atavis. Apud nos vel ipsum DONATIONIS, & MORTIFICATIONIS, ut vocant, vocabulum penè exolevit. Tantùm abest, ut natio hæc sacrilega, maximam partem, primorum donariis aliquid adjicere velit, ut eadem illa jam, hei mihi! devoraverint profanæ & crudeles Harpyæ: & cultus reformationē, peculii sacri deformationē & devorationē, audire effecerint. Studet unusquisq; patrimonium suum, vel cum DEI Patrimonii imminutione, ampliare. Nemo, ferè nemo DEUM in partem hæreditatis adsciscit. Quamdiu οἱ ἐξ ἐναντίας nobis vitio vertent, quòd fidem, nudam fidem crepamus, operosam tamen fidem nescimus. Utinam tandem solidam pietatem ediscamus, & vel decessorum indigenarum, vel contemperaneorum alienigenarum exemplô permoveamur. A*NGLOS* propono (ne procul hinc eamus, & horum sanè exemplum cum domesticum & familiare sit, vehementer urget) quos consignatis tabulis dabo, postquam iis puriotis E*VANGELII* lux affulsit, plura, eaque insigniora Pietatis monumenta reliquisse; quàm ducentis abhinc annis in universo terrarum orbe relicta sunt. Mirum, si verum. Mirum, sed verum. Hæc omnia quorsum spectent videtis AUD., ut P*ATRICIO* nimirum major exurgat laus: qui sterili hoc & effœtô sæculô Benefactorum adeo fœtus est. Quidni illum affectuum torrente obruimus: qui juventutem nostræ parentis, velut Aquilæ, renovavit. Cur non pileati vel laureati legimus vestigia ejus currus? & eum tanquam Camillum, alterum privilegiorum & immunitatum assertorem veneramur? Cur non illi ut Averrunco, Sospitatori, Λυτρώτῃ, Evergetæ, & DEO denique à machina litamus?

Nam spes, & ratio studiorum in Præsule tantum est:
Solus qui nostras hac tempestate Camœnas
Respexit: ut canit Poëta Aquinas.

Si priscæ ECCLESIÆ PATRES, etiam demortuos Rhetori-

câ προσφωνήσει alloqui non dubitarunt; licebit ne mihi absentem præsulem compellare. Audebo. Macte Præsul optime. Macte Heros maxime. Perge ACADEMIÆ nostræ magis, magisque favere, & sub benevolentiæ tuæ alis fovere.

O decus! O famæ meritò pars maxima nostræ!

Profitemur, quô major est tua benignitas, eô magis pudore suffunduntur Virgineæ Musarum nostrarum genæ, & animis excruciantur: quum excussis omnibus facultatibus in seipsis nihil reperiant, quod pro tanto meritorum cumulo piè rependant. Sed frustra angi fatebor, quia rependendo non sunt. Se tamen æterna cùm veneratione tanta munera & cogitaturas, & prædicaturas recipiunt.

Et quodcunque meæ poterunt audere Camœnæ,
Seu tibi par poterunt, seu (quod spes abnuit) ultra,
Sive minus, certeq; canent minus, omne vovemus
Hoc tibi.

De cætero, Cœlos votorum nimbô invadere, & fatigare non desinemus, ut serus in Cœlum redeas, & diu Musis nostris intersis. Et si liceret, quod olim veteres ROMANI gratulabundi Imperatori suo acclamabant, idem usurparemus nos hodie,

De nostris annis tibi Iupiter augeat annos.
Dii tibi dent Præsul quicquid venerande mereris.
Et rata perpetuo quæ tribuere velint.

Injustus essem, si dum alios BENEFACTORES commemoro, ALEXANDRUM ARBUTHNOTUM, GYMNASIARCHAM quondam meritissimum suis justis laudibus fraudarem. Vel mihi ingratitudinis labem affricem; vel illi Benefactoris laudem non infimam tribuam necesse est. Scitum est apud scientiæ syderalis mystas, stellas minores soli, à quo lumen fœnerantur, viciniores, ab ejus excellenti fulgore obscurari, easdémque a sole justô spatiô remotas, sese iterum nobis ostentare. Utcunque ALEXANDER,

si ill

si illum cum magnis illis luminaribus conjungas, eorum fulgore involvetur, obstruent enim ejus luminibus: si tamen, ut æquum est, per debitam distantiam divellas eum, qui alienô sæculô ἤκμασε; stellæ huic suum constabit lumen, suus honos. ALEXANDER hic dispendia, quæ GYMNASIUM accepit, dum sacra mutata sunt, magnô successu, & majori nisu resarcienda curavit. GYMNASIARCHA ANDERSONUS, qui illi cessit, sacris Romanis perditè addictus erat; Vir cæteroquin doctus & probus: cumque animô præcepisset GYMNASIUM novorum sacrorum seminarium futurum, si superesset, omni ope annixus videtur ut secum desineret. Supellectilem pretiosissimam abalienavit & intervertit. Fundos, et decimas damnosis infeodationibus & elocationibus prodegit. ACADEMIÆ Archiva, Tabularia, Censuales, & diplomata, seu chartas quas vocant, quantum in ipso fuit suppressit & celavit. Omnem denique rem nostram prope erat dilapidavit & decoxit. Quæ omnia non tam ex dolo malo, aut cupiditate prava; quam ex zelo præpostero profecta autumo. Ut quod res est dicam, ANDERSONO debemus, quod Cœlo non pateant mœnia: quod non detecta, & demolita omnia. Cum enim profani illi prædones & depeculatores (qui sanctissimô Reformationis propositô ad sua privata commoda abutebantur) Mammonæ, non DEO servientes, ita Auro & Argento inhiarent, ut ne vilioribus quidem metallis parcerent, plumbo quo GYMNASIUM nostrum contegitur, & æri ex quo conflatę sunt Campanæ, ipse ferrô vim reppulit. ARBUTHNOTUS utcunquè damnis ab ANDERSONO illatis occurrens, cum præter nuda mœnia nihil ferè GYMNASII nostri superstes esset, in hoc omnia Consilia direxit, omne studium defixit, ut beneficia Ecclesiastica, quæ alii dum privatis commodis applicarent, devorabant, ad usum sacrum & publicum nostri GYMNASII converterentur. Quare annô 74. post 1500. Beneficium SUCCENTORIÆ, ut vocant, ceu ECCLESIÆ PETRINÆ Beneficium, cum

Beneficio ECCLESIÆ FVRVIENSIS, & Capellaniis, ut vocant, WESTHALLENSI & FOLARVLENSI, juris nostri fecit. Anno denique 79. eo sollicitante, ROBERTVS METELLANVS, Capituli ABERDONENSIS Decanus dignissimus, suum beneficium in nostrum GYMNASIUM transtulit: unde uberioria emolumenta percipit quam ex re quavis alia. Quantam denique gloriam, ALEXANDER & sibi, & ACADEMIÆ peperit, ex eruditione illô sæculô rara, & probitate omni sæculô rara, fama adhuc loquitur. Nec dissimulandus silentiô WALTERVS STVARTVS, cujus auspiciis, inter alia, beneficium ECCLESIÆ METHLICENSIS ACADEMIÆ appensum, & appositum est: & si uberior benefaciendi seges se obtulisset, uberiorem ACADEMIÆ messem reportasset; ni mors præmatura eum in ipsô ætatis flore (dum videlicet annum sextum supra tricesimum ageret) nobis eripuisset. Quantum is, qui hodie nostro GYMNASIO præsidet, præstitit, in repetendis rebus ab aliis abalienatis, decimis præsertim, quæ intra nostrum Territorium sunt, norunt omnes qui nostrarum rerum gnari sunt. Quod plura &majora nō præstitit vir integer vitæ, temporum, non hominis vitium est. Nec dubitamus, quin adhuc magnum aliquid operæ pretium facturus sit, quod fama loquatur. Quanta interim redituum ACADEMIÆ accessio, & incrementum factum sit, res nostras promovente illo, & administrante PROGYMNASIARCHA, vix facilè divinabimini; tanta cum sit, ut ferè dupli facti sint. Hic est ille cujus eruditio omne genus, & sacra & exotica, omnibus qui eum norunt magè nota est, quam sibi. Hic est ille, qui si se aut nosset (quę est ej⁹ modestia, & de se existimatio exilis) aut nosse vellet, singulari ornamēto nobis esse posset, ut jā planè magnô est. Hic est ille deniq; qui etsi omnia nō sciat, neq; enim hoc mortalis est, pauca tamen ignorat. Qui aciem instruunt, solent nō solum duces belli, sed & subsidiarios milites recensere. Idē nobis faciendum, qui sacræ militiæ ductores, ceu potius duces in pacis artibus commemoramus: nisi vereremur nos pręfiniti


temporis, nos Orationis terminos excessuros. Pergendum esset à primipilis, & benefactorum primiceriis, ad gregarios: à magnis illis numinibus ELPHINSTONO, DVMBARO, STVARTO, FORBESIO, ad minora numina. Dicendum esset de IACOBO BRUNO, ECCLESIÆ ABERDONENSIS Decano, & DUNCANO SHERARIO, ECCLESIÆ CLATENSIS Rectore, Viris Clariss.; qui ELPHINSTONIO tantùm opus molienti, & velut Arcam DOMINI erigenti, manus, quod aiunt, adjutrices porrexerunt, & non tam ut necessitati succurrerent; quam ut εὔνοιαν & εὐμένειαν testatam facerent, symbolam haudquaquam pœnitendam contulerunt. Ac ille quidem beneficii sui particulam, decimas videlicet quorundam prædiorum in proximo decerpsit, & velut πρόγευμα quoddam illius, quod in solidum postea ACAD. cessurum erat, libavit; hîc verò idoneos reditus donavit, quibus Stipendiarii, ceu Bursarii, ut vocant, duo, alter Theologiæ, alter Philosophiæ Studiosus, alerentur. Nec tacendus esset BERNARDUS CARGILLUS, Vicarius ECCLESIÆ BAMFIENSIS, ut vocant; cujus munificentiam insignem experti sunt ACADEMIÆ Sacellani. Multum, & prolixe commemorandus esset Vir Illustriss. NICOLAUS HAYUS, Synodi ABERDONENSIS actuarius, postmodo etiam Officialis, ceu Comissarius Generalis, ut uocant, qui & minoribus egenis in COLLEGIO merentibus, & Senioribus emeritis in Ptochotrophio agentibus, extremis tabulis liberalitatem suam commodavit. Locus etiam hic esset CHRISTISONO, MELDRUMIO, CHYNÆO, & aliis non paucis ACADEMIÆ hujus Alumnis, qui cum in communione Ecclesiæ Romanæ vixerint, aut etiamnum vivant, amplissima, ut à Viris fide dignissimis accepimus, Patrimonia nobis legarunt: quæ aliarum Scholarum in GALLIA & BELGIO usibus applicantur, & accommodantur: tantisper dum ad sacra eorum jamdiu DEI OPT. MAX. immortali beneficio desita & antiquata redeamus: quàm conditionem etsi animitus abominemur, eorum tamen

benevolentiæ nonnihil tribuendum eſt. Minimè omnium negligendus eſſet Vir piiſſimus & probiſſimus, D. IACOBUS WATTUS, ECCLESIÆ SNATHENSI, in agro EBORACENSI Præpoſitus, inibíque in Sacro Miniſterio ſumma cum laude ſuâ, & Gregis ſui fructu longè maximô multos jam annos verſatus: qui licet procul corpore nobis agat, animô tamen & affectu jamdiu nobiſcum eſt; dum qui ſuum pectus CHRISTI Bibliothecam fecit, quod idem à NEPOTIANO olim factum perhibet S. Pater STRIDONENSIS, in BIBLIOTHECA noſtra, quæ apparatu olim cum quavis alia in Regno hoc certare poterat, poſtea verò partim temporum injuriâ, partim quorundam incuriâ, & viſcoſis ac hamatis manibus diſjecta, diſſipata, & direpta, nunc denuò inſtruenda & inſtauranda aliis viam præivit: fundóſque inſuper in vicinia haud anguſtos S. S. THEOLOGIÆ Studioſo alendo deſtinatos elargitus eſt: & cum Patriis Symmyſtis denique novam THEOLOGIÆ Profeſſionem ſurrigendam pro virili curavit. Nec ambigere fas eſt, quin ſi quô occœpit pede porrò pergere inſtituat, tandem inter illos majorum gentium evergetas & ſemones, dixerim, tranſcribendus ſit

Verum hæc ipſe equidem (& alia multa) *ſpatiis excluſus iniquis*
Prætereo, atque aliis poſt me memoranda relinquo.

Interim quę accepiſtis AUDIT. affectus à nobis & promerendi ſtudium expreſſit: quę quamvis tantorum Virorum factis minimè reſpondeant (hęc enim dum ſtupet animus, deficit Oratio) pietatis tamen & gratitudinis favore æquis placebunt. Hęc ſunt quæ meditati ſumus ad alios (quibus *de meliori luto finxit præcordia* TITAN) veluti Claſſicô, & celeuſmate excitandos, ut horum laudes latiùs prędicando promant, & imitandô promereantur: dum vident hos ex caducis & corruptioni obnoxiis quę erogarunt, immortale inter homines nomen, immortalem apud DEUM Gloriam reportaſſe. Vos verò cœleſtes, pręclaræ, & excelſæ animæ ELPHINSTONII, DUMBARI, STEARTI, aliorúmque omnium, quibus nos obnoxii ſumus, ſalvete. Salvete

Heroum ſanguis. Salvete pietatis genius. Salvete vos quorum laudibus perſonant Cœli: quorum ἀξία decantant puræ illæ mentes, & recitant οἱ μακαρῖται. Salvete, avete, & æternum valete. Ἔι τὶς αἴσθησις; ſi quicquam cogitationum humanarum eſt in vobis relictum; ſi veſtrorum adhuc curam geritis; accipite hunc Conatū: quem cum omni devotione, vobis ex intimis ſenſib⁹ offero. Noſtri memineritis incertū: certè dum in Cœlo, Sol, & Luna fulgebunt, veſtri haud unquam obliviſcemur. Dum vos DEUM, nos vos celebrabimus.



AD ORATIONEM DE PHILOSOPHIÆ ORIGINE, INcremento, &ad noſtra uſq; tempora progreſſu,

Habitam in Feſto Promotionis Candidatorum Magiſterii in PHILOSOPHIA *& Artibus, 4. Kal. Sextil, Anno 1631. In auditorio* PHILOSOPHICO COLLEGII REGII ABERDONENSIS,

CORONIS, LAVDES EXHIBENS V. CL. D. D. ALEXANDRI RHÆDI,

Doctoris in Medicina excellentiſſimi (quam LONDINI ANGLIÆ *Metropoli, optimo ſucceſſu, & haud minori fama* exercet) & recentis noſtri Benefactoris Munificentiſſimi.



COmmittendum non duxi, AUDIT. Ampliſſ. vel ut auribus veſtris, quæ jam faſtidiô levandæ ſunt abuterer; vel ut vos, MAGISTRI, quos hucúſque Diſcipulorum & Filiorum, nunc verò parium, & fratrum locô habeo, ἀπροσηγορήτως dimitterem. Conſilium, quod inter utrumque ſuccurrebat, hoc erat, ut brevi cataſtrophe ſcena hæc in quam reducor finem inveniret. Alma veſtra Mater

ACADEMIA, Magiſtri, cujus nomine ego vos officiosè & prolixè extremùm ſaluto, quas artes vos docuit (& quas liberales, audacter dicam, liberaliter non docuit?) earundem vos Magiſtros renunciavit: ita ut quas ipſi ab aliis didiciſtis, jam ipſi alios docere poſſitis. Vos quos Titulis & Dignitatibus Scholarum pares *fecit*, iiſdem *affecit*. Honores Filiorum aliorum Parentum ſunt *vota*: veſtræ Matris ſunt *dona*. Supremus Magiſtratus ſubditos virtutibus ornare haud valet: in iis tamen, ſi Sceptrum non erret, virtutes honoribus cumulat. At cum ſolo DEO hoc commune habet veſtra Mater; ſuæ eruditioni ſuam lauream, ſuis virtutibus ſuos honores adjicit. Beneficia recogitate, quibus vos jam antè beavit, quæ vobis chariſſima eſſe debet. Mulieres, quæ communem pariendi legem excedunt, Menſe X. XI. aut ſummùm XII. parere ſolent. De ELEPHANTO animalium terreſtrium maximo, proditum eſt in Naturali Hiſtoria, eum integrô bienniô uterô graveſcere: cum natura non queat tantum fœtum breviori ſpatiô elaborare. Neſcio, an ullum ſit animal, quod uterum diutiùs geſtet. Verùm eccè Matrem veſtram integrô quadrienniô vos uterô fovere non piguit. MACABÆORUM Mater virilis animi Heroïna, quum filios ad martyrium obeundum extimularet, hoc argumentum tanquam omnium validiſſimum uſurpare non dubitavit: mementote aiebat ego vos integros IX. menſes utero meo portavi. Si animos veſtros confirmaret veſtra Mater ACADEMIA, ad patiendum non ſolum pro veritate divina; ſed etiam pro ejus fama, & exiſtimatione, argumento iſti vires addere poteſt, & ſpatium ἐννεάμηνον in quinquies ἐνιαύσιον convertere. Pro parvo tamen ei fuit, ſuô uterô, tanquam equô TROJANÔ vos circumferre, niſi & abundè vos ſaginaſſet, & lacte, & ſolidiori cibô PHILOSOPHIÆ. Inter prodigia habetur, ſi intra uteri cavernas vocem edat infans, quem à ſilentio inibi, ita dici voluerunt linguæ autores: verùm, conſuetudine ſtuporem expectorante, ordinarium eſt, & quidem abſque obſervatione, veſtræ Matri ἐγγαστριμύθους habere, id eſt,

linguarum cognitione imbuere, linguæ prǽsertim ſanctæ, quæ eruditionis divinæ, & Græcæ, quæ omnis eruditionis & divinę, & humanę clavis eſt. Officia excogitate, quibus omnia hęc vos animô venerari, & quando res feret, factô rependere velle teſtatum facere poſſitis. Atque, in hunc finē ego vobis propono Viri Clariſſimi, & de nobis optimè meriti, D. D. Doctoris ALEXANDRI RHÆDI (cujus gratiâ Diem Feſtum non ita pridem habuimus) εὐεργέτημα recens, Claſſicô dignum, Famâ & Memoriâ perpetuâ digniſſimum: cujus nos vocaliſſimos præcones ſpondemus perpetuò futuros. Ego hodie toto conatu, plenis buccis, ejus benefacta prædicare aveo. Utinam modo faveret tempus! Ego eadem aliis, per omnia ſęcula, donec ultimus ille buccinę ſonitus auditus fuerit, ebuccinanda relinquo. Loquor ejus laudes, quæ nunquam poſteà apud nos ſilebunt. Utinam ad laudum ejus cumulum accederet! ut die tam ſolenni, dicendi aliquis Magiſter Primarius ejus decora & adoreas recenſeret, vel HOMERO vorſâ, aut XENOPHONTE Oratione prorſâ encomiaſtis dignas: quod dum faxit, ego, ut queo, pro temporis ratione ad illas veluti digitum intendam. RHÆDUS hic noſter (qui novam Benefactorum familiam, quam ſuô exemplô excitaturus eſt, bene ominamur, ducit) ut pietatis, & charitatis operibus operam dare poſſet, improles eſſe voluit. Facultates, quas alii, dum domeſticis charitatibus nimis indulgent, ad propinquos, & liberos tranſmittunt, ipſe ad pios uſus ſupereſſe voluit. Illum ad charitatis opera natum, & totum factum putate, qui ut eſſet illorum fœcundus, liberorum ſterilis eſſe voluit. Maxima ergò ejus eſt, ut videtis, charitas; ſed quæ in ſe maxima ſunt, niſi & tempeſtivè, & optimè collocata fuerint, corrumpi poſſunt. Maxima autem ejus eſt, & ordinata, & ſuô ſimul tempore facta charitas. Quô ordine ipſe ab aliis beneficia percepit, eodem ordine ipſe illis benefacta retribuere voluit. BANCHORII cis Deam, pago haud ignobili, ubi Pater IACOBUS RHÆDUS Sacri Miniſterii antiſtitium gerebat, qui RUFO-

RUM gentem, ut credibile est, excitabit, tanti nominis fortasse futuram apud nos, ac apud ROMANOS olim; Vir, ut ferebant ea tempora, prudentiæ laude clarissimus (cujus gnomæ, & sales summo acumine, lepore, & elegantiâ conditi vulgò circumferuntur) & ubi nunc Frater Vir nulli in Clero ABERDONENSI eruditione, prudentiâ, & morum gravitate cedens, qui paternam laudem facilè æquat, eodem defungitur: BANCHORII, inquam, prima eruditionis elementa cum vita accepit, inter cæteros Fratres, qui omnes ingeniô fuerunt vastissimô, & fœlicissimô. Quare ante omnia loco natali, ut par erat, gratificari satagens, Scholam illustrem & liberam, sumptu haud modico, ibi aperiendam curavit, structuræ splendore, redituum copiâ, librorum supellectile, & alumnorum numerô insignem: qualem nullam in villis aut pagis nostræ Patriæ videbitis: imò quæ ferè, titulis omnibus commemoratis, Scholas plerásque urbicas non solum adæquet, sed & superet. PTOCHODOCHIUM etiam ibi extruendum curavit: quod idoneis reditibus auxit, ut viris, pueris, hominibus omnium ordinum benefacere possit. Postquam Ἐυεργέτης hic noster BANCHORII prima Stipendia fecisset, ad uberiorem fœlicissimi ingenii culturam capessendam, huc se contulit: & quod fœlix faustúmque fuit, in matriculam Almæ hujus ACADEMIÆ se dedit: ubi tot tantósq; & in disciplinis humanioribus & Philosophicis progressus fecit, ut per eos facilè viam sibi paraverit ad supremum dignitatis Scholasticæ fastigium, quod hodiéque in sua arte tenet. Et certè PHILOSOPHIÆ nostræ cum Medicâ (à cujus peritia Clarissimus est noster RHÆDUS) singularis est necessitudo. In hoc ergo ATHENÆUM ejus secunda cura incubuit: cui ut satisfaceret, animum adjecit ad ACADEMIÆ liberos alumnos uberiore victu sublevandos. Ipse *mali non ignarus, miseris succurrere didicit*. Quùm enim probe cognosceret, esse hic ingenia ignea, vivida, & florida, quæ inedia extinguit, & duris in rebus egestas opprimit, & enecat: horum commiseratione adductus, *existimavit* illis con-

ſtituit: quod olim vati Mantuano, ab Imperat. A u g u s t o, dum primos divini illius ingenii conatus expertus eſſet, factum legimus, in ejus vita. Non ita cum ACADEMIÆ Beneficiariis agitur, ac cum Monachis olim. Hos otium, & luxus; illos labor, & inopia diſperdit. A C A D E M I Æ inſtitutores, extra controverſiam, abundè alumnis hiſce de menſa ſuô ſæculô caverunt. Verùm cum aliter hîc vivatur ac pridem, aliter forô utamur, & duplô ac triplô res cariùs emantur, quę eſt rerum viciſſitudo, fieri haudquaquam potuit, ut demenſum illud primitium hodierno ſęculo ſatis reſponderet. Quare A L E X A N D E R, ut noſtra tempora prioribus ęquaret, & Saturni ſęculum A C A D E M I Æ τροφίμοις renovaret, auri & argenti copiam inſignè huc amandavit, & velut aureo benevolentiæ vellere Matris egeſtatem contexit. Audit ſurdus etiamnum venter tuam benignitatem A L E X A N D E R. Ingenium largietur idem ille, cum Satyrico Volaterrano dicam, & illis ſuum Χαῖρε expediet. Et, ſicut ad beatiſſimę D e i p a r æ pręſentiam geſtiit & exſiluit uterus Genitricis magni Prodromi S A L V A T O R I S noſtri (quod abſque derogatione rei tam ſacræ acceptum volo) ad tui memoriam, ad tuum nomen geſtient, & exultabunt multorum inteſtina. Tibi *pedibus plaudent choreas, & carmina dicent.* Te denique, his verbis, ſalutare non deſinent: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.

Quæ te tam læta tulere
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?

Studete jam ſecurè Alumni, ſtudete gnaviter, curas præterquam Scholaſticas deponite, animô tranquillô eſtote. Nolite de victu amplius eſſe ſolliciti. Solvit A L E X A N D E R longa veſtra jejunia: quæ *jamdiu vos inopi domant victu*, ut Orationem quam ſtrinxit N a s o, ſolvam ego. Solvit jejunia veſtra, quæ non intermiſſa, & interrupta, ſed continua fuerunt. Solvit non quadrageſimæ, aut quinquageſimæ, aut etiam ſeptuageſimæ jejunia, quouſque jejunia quidam in in priſca E C C L E S I A protrahebant,

sed septuaginta annorum jejunia. Vestrum squalorem detersit. In lætitiam vestrum luctum, vestrum jejunium in convivia Socratica convertit ALEXANDER. Deduxit vos ERYTHRÆUS per mare miseriæ rubrũ, & vos in terram CANANÆAM, terram copiâ prælargam introduxit. Sed quid proderit cutem curare: animum verò negligere, quæ pars melior & divinior est. Quod est corpori cibus, hoc animo LIBRI: hîs pascitur, hos in succum & sanguinem convertit, hîs valet, vigetque. Absque hîs foret, elanguesceret, contabesceret, & emoreretur. Absque his cogitationes nostræ crudę, & efferę. Vidit hoc ALEXANDER. Metuit animorum maciem. Verebatur ne tandem eruditio hîc exsucca, & strigosa esset. Quare qui paucorũ necessitatibus exterioribus, omnium animis mederi voluit. Ille rejectis quisquiliis, Librorum τρώγάλια, πέμματα, & ἐπιδορπισμὸς, cum GRÆCIS dicam, huc misit: ut hîs tanquam sesamiô aut promulside, vel languentes stomachos irritaret. Cibaria alia usus consumit: hęc usu teruntur, & non deteruntur. Hôc nos immortali conviviô excipit ALEXANDER. Hic gravitas THEOLOGICA cum subtilitate MEDICA, & IURIS majestate commiscentur. Hic amœniorum literarum lepores cum acrimonia PHILOSOPHICA confunduntur. Negotium fuit haud modicum duobus summis Regibus, laudabili & tantis principibus dignâ æmulatione, non de agris, aut fundis, aut hujusmodi tricis, sed de re literaria inter se decertantibus, PTOLEMÆO PHILADELPHO ÆGYPTI, & ATTALO PERGAMI Regi, qui eôdem seculô regnarunt, horum cuique, BIBLIOTHECAM unam adornare. RHÆDI ergo tenuis esse gloria haud potest, qui in fortuna privata, & novam BANCHORII librariam instituit, & antiquam hîc restituit. CÆSAR Dictator (qui tot bellis defunctus, tot victoriis potitus, tot trophæa reportavit, cùm magnam librorum vim undique corrasisset; ut BIBLIOTHECAM sapientiæ armamentarium quasi, domi forisque omnium compos, faceret, ipse vivus

eam absolvere non potuit. Verùm ille utriusque militiæ delicium (qui quantùm Marte feroci valuit; tantùm etiam loquendô) armatæ togæ victima cum fuisset, AVGVSTO CÆSARI Filio cum hęreditate curam illam transmisit. ALEXANDER noster curam duorum CÆSARVM ipse per se explevit. DEMETRIVS PHALERÆVS (qui ALEXANDRINAM BIBLIOTHECAM PHILADELPHI auspiciis solummodò procuravit) ab ATHENIENSIBVS, quibus per decennium pręfectus fuit, tot statuis ornatus fuit, *quot luces annus habet absolutus*, id est, trecentis & sexaginta: tot enim dies annus numerabat. Cogitate ergo, quot statuis dignus sit noster ALEXANDER, qui negotium suum agit. Certè mihi statuarum IUBILÆUM, aut sęculum mereri videtur. Videtur cum ANTISTITE nostro (qui ad omnem EVERGETARVM commemorationem ubique pręsto est, semper occurrit, & in hoc campo dominatur) contendere hac de re. Ille cum cerneret prœlum esse BIBLIOTHECÆ φυτευτήριον, divinam illam & IOVIS cerebro dignam ARTEM TYPOGRAPHICAM, (quę nunquã ante saltus Caledon. & juga Grãpia salutarat) huc tanquã de Cœlo devocavit: atque hâc pręrogativâ effert se ACADEMIA nostra super alias omnes nostrates. In tantis frigoribus nec prœlum sudare cessat, idque haud absque operæ pretio. Non solùm enim excuduntur hic Libri, qui omnium SCHOLARUM usibus deserviunt; sed etiam ii, qui cùm genium habeant, nostris SCHOLIS earumque rectoribus ornamento sunt: idque TYPIS splendidis, qui lucem illustrissimarum Regionum ferre possunt. Hic verò PRÆSVLI nostro semen concedit: at fructus sibi vendicat: Semen TYPOGRAPHIVM est: Libri frnctus sunt. ALEXANDER fructus etiam maturos, libros qui prœlô jam prodierunt, donavit. Communis esto gloria: utilitas in solidum nostra est. Videtur etiam cum fratre germano, de meritis & de gloria, hoc in negotio certare. Illę Bibliothecam τῇ κατασκευῇ insignem Collegio MA-

RESCHALLANO dedit, dicavit: cùm quô locô res nostræ essent ignoraret. RHÆDUS verò noster geminâ adornavit. Habeat ergo cum ętatis pręrogativa & laudum τὰ πρωτεῖα. Partiuntur inter se Parentes & Pręceptor hominem: hic animam, illi corpus vendicant. Solus DEUS PATER SPIRITUUM OMNIS CARNIS totum hominem postulat, jure merito. Et sub eo, ALEXANDER hic totum efflagitare potest; dum omnium partium curam agit. Accipe ergo ALEXANDER, quod tuum est. Nosmet nostraque omnia tibi ex asse addicimus, devovemus & mancipamus. In tuam potestatem transimus. Nobis manda, impera, &, ut voles, utere. Solent Convivę, ab epulis, deambulatione lentâ valetudini suæ consulere. Habet quid simile anima. Dum libros versat, dum ruminat, sedet: quiescit: convivia agit. Est & animorum quidam motus: dum extra se abeunt; dum per liquidum aëra in summos Cœlos penetrant; dum sydereas faces, earum motus & incessus, aliaque ad illas spectantia observant & cum illis quasi moventur; dum terræ tractus, marisque profundi spatia oberrant. Qui alijs moderandis præsunt, eorum et requiem & motus, domi forisque observant & tuentur. Domi nosmet continemus, de ALEXANDRO vivimus: libris ejus vescimur in Bibliotheca: quam post non-neminem eruditionis sedem, sapientiæ domicilium, literarum securissimum sacrarium, & denique magnarum animarum Prytanêum & quasi Capitolium dixerim. Dum expatiatur animus, dum alia extra se, dum Cœli cameram, dum terræ planitiem contueri gestit, &, ut cum vate Patrio dicam

Dum late in populos ferimur ——— poliquę
Immensum reseramus opus,

viaticum suppeditat ALEXANDER. Non omni studiô, schedis & chartis defungimur. In quibusdam, Mathematicis prę sertim, ad ἐμπειρίαν provocare oportet. Cœlorũ orbes perennes, ne desuper eludant, in fragili orbe ludimus, cum Syracusano sene. Terram, quam calcamus, integrã comprehendere visu non valemus: tanta ejus moles est, tanta laxitas.

laxitas. Quare huic defectui αὐτοψία occurrimus. RHÆDUS, cum sciret Mathemata (quorum excellens dignitas est, & usus in vita humana singularis) ob instrumentorum penuriam negligi; aut saltem non ita accuratè excoli, integram ferè Mathematicorum supellectilem huc transtulit: ita ut URANIA nostra, quæ priùs jacebat, jam caput efferat. Sphærâ τῇ κρικωτῇ æneâ, Archimedis manu digna, & globô, ut vocant, cœlesti splendidissimô, tanquam geminis oculis, Cœlum intuetur illa. His machinis, cœli arcem invadit, & expugnat, alioquin inexpugnabilem. In Globo terrestri fulgentissimo, omnia mundi Regna, omnes Regiones, omnes Provincias, Urbes omnes, & oppida sicco pede emetimur. Videmus pomum illud contentionis, punctum illud, ad quod Regum, & Magnatum immortales lites terminantur: videmus, & ridemus. Nos Cœlô & Terrâ *Representatitiis* donavit RHÆDUS: ipse *Verô* Cœlô dignissimus: Terræ *Vera* latifundia collaturus haud dubiè; si ejus votis omnia paterent & parerent. O laudem melioribus sæculis, nedum hôc, cui pietatis & charitatis venæ penè exaruerunt, egregiam, & raram! Cur non eum præconiis in Cœlos tollimus? qui nos in Cœlum, quasi manu ducit. Cur non ejus decora per universum hoc, quàm latè patet orbis, propagamus? qui nos per terras comitatur, & domi peregrinari facit, absque convicio. Prætereo jam, ut vestris auribus AUDIT. & tempori aliquid condonem, QUADRATUM, expressam largitoris effigiem: qui vir est quadratus, & ex omni parte consummatissimus, & alia. Habes Vir Excellentiss., apud nos tredecem, quorum dum corpora tuâ benevolentiâ reficis, te totum, animam cum corpore Divinæ miserationi commendabunt. Habes nos omnes Academicos tibi devinctissimos, & devotissimos: quorum animos, dum librorum copiâ pascis & recreas, tibi optimè velle, & tuam magnificentiam celebrare nõ desinemus. Te in Aula nostra invenio: te in Bibliotheca: quocunq; deniq; me in Gymnasio converto, RHÆDUS occurrit. Illum poscit Theologus: quærit Me-

dicus: ambit Iurista. Eum cum singuli quærant, inveniunt omnes: illum salutant, & cum illo loquuntur. Nunquam, nisi & doctiores, & meliores ab eo discedunt. Verum parùm ei fuit εὐτάκτως benefacere; nisi & εὐκαίρως. Pleriq; pessimô cùm consiliô, tum exemplô, in extremo vitæ articulo, aut saltem quando de valetudine conclamatum est, ad erogandū se accingunt: quos similes illis judico, qui viâ opacâ & obscurâ incedentes, facē post se relinquūt. Quid si subita & inopina mors consiliū abrumpat? Quid si aliorū negotiorū moles, quæ tūc vel maximè incūbere solēt, valetudinis cura, mortis horror, dolorū sēsus, τῶν καθ' αἷμα προσηκόντων bonis inhiantium importuni clamores consiliū expectorent? Quid si, deniq;, morbi vis & natura effœta consiliū interturbent? RHÆDVS noster, hoc intuitu, dū se paratū sensit & à consilio et à facultatibus, tēporis usurā fecit, et occasionē avidè aripuit. Non eum fugit, pleros q; pessimâ fide defunctorū ultima mādata exequi, eáq; vel invertere, vel intervertere. Quare, his fraudibus prævertendum esse duxit, ipse vivus vidensq;. Semel dedit, sed bis dedisse existimād⁹ est: quia citò dedit: idq; nō de bonis hæreditarijs: res enim alibi partas solū vertere fecit, et in Patriā ire docuit: tātū apud eū valuit ejus amor; nulli quā Iosepho in hoc similior: qui ejus exemplô similiter, amicos privatos in Patria et pauperes sublevat, et divites ornat. ROBERTI WILKII V. Cl. (qui Collegij LEONARDINI in ACAD. ANDREANA Præses erat) laus hôc hemistichiô, cujus ipse autor existimatur, comprehenditur: *Hîc parta est, hîc maneat res.* Voluit scilicet vir pius fluminum indolem sequi: qui, cum ab Oceano originem indipiscantur, in eundem redeunt et exonerantur. Existimabat, ut est personarum, ita rerum sacrarum esse quoddam natale solum: quo in loco cùm sint, optimè cùm illis agitur. RHÆDUS verò noster nullô sacramētô adduct⁹, quod solent Viri frugi, hoc præstitit. Lares privatos & conjuges deserunt; ut res alibi lucrifaciant & domum convehant. Ita Civis Cœli res suas sacrô exiliô multavit. Ego hodie, MAgistri, genuinum hunc Ciconiæ pullum (cujus benefacta adhuc calent) vestris oculis subjicio. Ego vobis illum imitandum pro-

pono. Non ſinebant *MILTIADIS* Trophæa *THEMISTOCLEN* (cujus in Græcorum hiſtoria illuſtre nomen eſt) noctu dormire. RHÆDUS vobis Miltiades eſto: cujus hodiè triumphos de ingratitudine çelebramus. Vos Themiſtoclem agite. RHÆDUM ſomniate. RHÆDUM vigilantes cogitate. Semper veſtro animo obverſetur RHÆDUS. Cura illum laude aſſequendi vos dormientes, cura illa vos vigilantes teneat. Beneficiorum ejus commemoratio ſit in vobis officiorum provocatio. Ejus contemplatione voſmet accendite ad paria promerita: quod tùm demùm pręſtare poteritis, quando eundem virtutis callem tenueritis. Pergite, ut facitis, Adoleſcentes (quibus omnibus egregiæ indolis luculentum teſtimonium præbeo) atque in ſtudium virtutis magis magiſque incumbite: ut vobis honori, amicis utilitati, & reipublicæ, huic pręſertim literariæ, emolumento eſſe poſſitis. TULLIUM, eundem diſertiſſimum & cōſultiſſimum monitorem habetis, Lib. 1. de Orat. Quod faxitis, DEUM veneror. Atque ἐπιχαρίσμα post Fabulam finio.

Comprecor, antè mea capiant me oblivia dextra:
Nec memor argutæ ſit mea dextra lyræ:
Os mihi deſtituat vox; areſcente palatô,
Hæreat ad fauces aſpera lingua meas:
Grata *mihi veſtræ niſi ſint præconia laudis,*
Hæc *niſi* ſint laudis pars quoque magna *meæ.*

GLORIA in altiſſimis DEO, Pax in terra, & in Homines Benevolentia.

FINIS.



Εἰς τὸν πάνυ ἈΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ἘΡΥΘΡΑΙΟΝ, &c.



αιονίης Ἐρυθραῖε μεγακλυτὸν οὔνομα τέχνης,
Φοίβου καὶ Μουσέων μοῦσα περισσόνοε,
Σοὶ μὲν Φιλλυρίδης τε μέγας, καὶ δῖος Ἴαπις,
Σοὶ δ᾽ αὖ δεξιτέρου εἶξε Μαχαονίη·
Εἴτε νόσους ἀκέσασθαι ἀναλθέας, εἴτε καὶ ἕλκη
Ἀλθαίνειν βοτάνης εὔαδε λευγαλέα.
Ἀλλὰ τεοῖς ἐνὶ πᾶσιν ἀκήμασι τοῦτο διαυγὲς
Λάμπεται, ὡς Μήνη ἄμμιγα λαμπαδίων·
Ὅττι δυσπαθέουσαν ἀκέσσαο γειναμένην σευ,
Ἣν ἐδίδου ζωὴν ἔμπαλιν ἀντιδιδούς·
Παισί τε δευομένοισι βίον βίβλους τε χορηγῶν,
Σὺν στυγερῇ λιμῷ ἤρκεσας ἀγνοίην·
Ὄφρα δὲ γῆν περόωσι, καὶ οὐλυμπόνδε πέτωνται,
Ὤμοισιν πτέρυγας Δαιδάλου ἡρμόσαο.
Χαῖρε πάτρω περίπυστε· πατὴρ δ᾽ ὀχετηγὸς ἐάων
Ἀντ᾽ εὐεργεσιῶν σοι καλὰ πάντα νέμει.

ΤΕΛΟΣ.

